



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1838

XVIII. XIX. Des Magdeburgschen Dechanten Johannis von Redekin Erklärung der dem Capitel zu Havelberg ertheilten Verleihung des Patronats der Pfarrkirchen in Kyritz und Perleberg, nebst der desfalsigen

...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54294](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54294)

XVIII. XIX. Des Magdeburgschen Dechanten Johannis von Redekin Erklärung der dem Capitel zu Havelberg ertheilten Verleihung des Patronats der Pfarrkirchen in Kyritz und Perleberg, nebst der desfallsigen Bulle des Pabstes Johann XXIII. v. J. 1413.

Johannes de Redekin decanus ecclesie magdeburgensis, Executor et commissarius vnicus ad infrascripta a sede apostolica specialiter deputatus, Vniuersis et singulis quorum de infrascriptis interest seu intererit aut quos infrascriptum tangit etc. salutem in domino et presentibus fidem indubiam adhibere. Litteras sanctissimi in cristo patris et domini nostri domini Johannis diuina prouidencia pape XXIII. eius vera bulla plumbea cum cordula can. impendente more Romane curie bullatas, sanas, integras et illesas omnique prorsus uicio et suspicione carentes nobis per honorabilem et religiosum virum dominum Johannem de Angheren, priorem ecclesie havelbergensis ordinis premonstratensis, qui ad hoc speciale mandatum habuit pro parte venerabilium virorum dominorum prepositi et capituli eiusdem ecclesie havelbergensis, coram notariis publicis et testibus infrascriptis presentatas nos cum ea qua decuit reuerencia nouerint recepisse in hec verba:

Johannes Episcopus seruus seruorum dei dilecto filio decano ecclesie Magdeburgensis salutem et apostolicam benedictionem, Humilibus et honestis supplicum notis illis potissime per que ecclesiarum presertim cathedralium utilitatibus ac necessitatibus consulitur quantum cum deo possumus fauorabiliter annuimus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum prepositi et capituli Havelbergensis premonstratensis ordinis peticio continebat, quod olim quondam Jodocus marchio Brandenburgensis pro sue suorumque parentum animarum salute ac zelo deuocionis quem ad ecclesiam havelbergensem predictam habere dinoscebatur accensus et ex aliis piis causis jus patronatus parrochialium ecclesiarum de kiritz et de perleberghe havelbergensis diocesis predictae ad eundem marchionem pleno iure pertinens preposito & capitulo in perpetuum dedit & concessit. Et deinde venerabilis frater noster Otto Episcopus Havelbergensis cupiens preposito & capitulo prefatis ex eo, quod dicta havelbergensis ecclesia in fructibus redditibus et prouentibus propter guerras rapinas et incendia que partes illas diucius afflixerunt multum diminuta erat, de alicuius subuencionis auxilio prouidere, ecclesias predictas de consensu et voluntate marchionis predicti animo et intencione ut verisimiliter est credendum dietas parrochiales ecclesias eidem havelbergensi ecclesie perpetuo vniendi incorporandi & annectendi eisdem preposito et capitulo per eos in perpetuum habendas tenendas & possidendas auctoritate ordinaria tradidit et eciam assignauit, prefatique prepositus et capitulum licet in litteris super tradicionem & assignacione predictis notarius, qui illas confecit, verbis vnionis annexionis et incorporacionis usus non fuerit uigore tradicionis et assignacionis huiusmodi corporalem possessionem ecclesiarum predictarum apprehenderunt illasque extunc tenuerunt et possederunt prout de presenti tenent et possident pacifice & quiete. Quare pro parte prepositi et capituli predictorum fuit nobis humiliter supplicatum ut easdem parrochiales ecclesias eidem Havelbergensi ecclesie vnire, annectere & incorporare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicacionibus inclinati discrecioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus si est ita, super quo tuam conscienciam oneramus, ecclesias parrochiales predictas, quarum decem & octo, eidem Havelbergensi ecclesie, cuius duarum millium marcharum argenti fructus redditus & prouentus secundum communem existimacionem valorem annum non excedunt, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis auctoritate apostolica in perpetuum vnias incorpores & annectas, Ita quod liceat preposito & capitulo prefatis predictorum parrochialium ecclesiarum possessionem libere et licite retinere ipsarumque fructus redditus & prouentus in usus suos proprios conuertere cuiuscunque licencia super hoc minime requisita reseruatis tamen congruis porcionibus de fructibus,

redditis et proventibus singularum parrochialium ecclesiarum predictarum pro singulis perpetuis vicariis in eisdem domino perpetuo seruituris de quibus quidem porcionibus iidem vicarii possint congrue sustentari, Episcopalia iura soluere et alia eis incumbencia onera supportare, non obstantibus si aliqui super prouisionibus sibi faciendis de huiusmodi uel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales uel generales apostolice sedis uel legatorum eius litteras impetrarint eciam si per eas ad inhibitionem reservationem et decretum uel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras et processus habitos per easdem ad predictas ecclesias parrochiales volumus non extendi sed nullum per hoc eis quoad assecucionem beneficiorum aliorum preiudicium generari & quibuscunque priuilegiis indulgentiis et litteris apostolicis generalibus uel specialibus quorumcunque tenorum existant perque presentibus non expressa uel totaliter non inserta effectus earum impediiri ualeat quomodolibet uel differri et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mencio specialis, nos enim ex nunc irritum decernimus et inane si secus super his a quoquam quauis auctoritate scienter uel ignoranter contigerit attemptari. Datum Rome apud sanctum petrum V. Id. decembris Pontificatus nostri anno tercio.

Post quarum quidem litterarum apostolicarum receptionem — — — nos igitur Johannes — coram non nullis testibus fide dignis uidelicet honorabilibus uiris dominis hincric borchaghen preposito monasterii sanctimonialium in hilhengraue et Johanne apothecarii rectore ecclesie parrochialis in Gorne hau. dioc. — — productis eciam non nullis litteris autentis vniam quondam pie memorie domini Jodoci marchionis Brandenburgensis (cf. Nr. XV.) aliam reuerendi in cristo patris & domini domini Ottonis Episcopi hauerbergensis (cf. Nr. XVI.) sigillis munitis — — — omnia & singula in — litteris apostolicis expressata & contenta inuenimus fore uera — predictas ecclesias parrochiales — incorporauimus & anneximus — volentes et auctoritate apostolica decernentes, quod Prepositus & capitulum prefati perpetuis futuris temporibus possessionem dictarum parrochialium ecclesiarum per ipsius ecclesie hauerbergensis canonicos regendarum sicuti eam de presenti tenent et habent libere & licite continuare et retinere ipsarumque fructus redditus & proventus in vsus suos proprios conuertere ualeant — — Ita tamen quod perpetui vicarii in eisdem ecclesiis uidelicet in kiritz quatuordecim et in perleberghen decem marchas warandie stendaliensis preposito et capitulo ecclesie Hauerbergensis ad ipsorum uoluntatem singulis annis de earundem ecclesiarum fructibus — expagare debeant — . — Datum et actum Magdeborch in Curia habitacionis nostre sub anno a natiuitate domini millesimo quadringentesimo decimo tercio VI^a mensis maji die Jouis hor. vndec. vesp. vel quasi vesp. Pontificatus s. in christo p. & dni. nostri dni. Johannes diu. pape XXIII. supradicti anno tercio presentibus honorabilibus et discretis uiris domino Theoderico Rosentreter canonico ecclesie Magdeburgensis, Bartoldo halte et hermanno tuchmaker clericis hauerbergensis & halberstadensis diocesis testibus ad premissa uocatis specialiter & rogatis.

Nach dem Original. Die darin enthaltenen Transsumpte der Urkunden des Markgrafen Jobst und des Bischofs Otto v. J. 1409 sind schon oben mitgetheilt. Die Lücken sind aber theils durch Auslassung dieser theils anderer Wiederholungen und umschweifender Redefätze entstanden. Die mit unterzeichneten Notarien waren:

Philippus de Tangermunde clericus magdeburgensis und
Johannes Mestorp clericus halberstadensis diocesis.

Die Pfarre, welche das Domcapitel schon nach einer Urkunde vom Jahre 1324 (siehe oben Nr. V.) verlieh, war nicht die Pfarre in der Stadt Kyritz, sondern in dem Dorfe Kyritz, jetzt Kyritz bei Neustadt an der Dosse.